

## **Cartulaire de Marmoutier pour le Dunois, Cartularium Dunense Maioris Monasterii Nr. 32**

Notum sit omnibus quod Guanilo de Montiniaco abstulit nobis quendam servum nostrum, Andream nomine, filium Guarini servi, quem donaverat nobis Guanilo thesaurarius avunculus eius, quando donavit nobis etiam Sanctum Ylarium. Sed ab hac sua iniusta pervasione respiciens, reddidit nobis servum nostrum et habuit inde XL. et VIII<sup>to</sup> solidos. Auctorisavit hoc uxor eius, quae habuit pro hoc quoque V. solidos. Testes inde sunt Johannes de Pontibus, Gradulfus, filius Isembardi, Nivelos sine Barba. De nostris : Fulcherius de Sancto Ylario, Tetbertus famulus, Lambertus, filius Bernerii.